

(2) Benedictio Dei arcet omne malum, & corporis anima, affertque omne bonum exoptatum. Dei dicere est facere. A simul frui, tenetur etiam pro Jerus. orare, & ejus incrementa pro viribus procurare; Pf. CXXII, 6.

USUS E VERSU V.

[1] Qui ex Zion vult benedici, sit etiam membrum vera ecclesia, vel incola Zionis. Extra ecclesiam nulla salus. Qui hanc non habet in terris matrem, non habet in caelis Deum Patrem.

(2) Benedictionem ex Zion desiderans, memor erit arca foederis, Propitiatorem Christum praefigurantis, in cujus nomine orandum: Joh. XVI, 23.

(3) Qui bonum Hieros. vult spectare & eodem

USUS E VERSU VI.

[1] Vita longæva donum Dei.

(2) Liberorum conspiciere progeniem seu nepotes omnino etiam adscribendum divina munificentia. Psalm. LXXI, 18.

[3] Pax bonorum omnium compendium. Reperitur etiam apud hos, qui inopia quandoque laborant inter turbas medias: Pf. IV, 8.

[4] Optanda ea non tantum personae familiaeque propria, sed & universo Israeli.

PSALMI CXXIX. DISPOSITIO.

Arator impius arescat. Crux vittrix.

Est hic I. Calamitosi status descriptio: [1] afflicti; Israel, (2) afflictio: angustiis affecerunt me multum: (3) tempus: inde a juventute mea: v. 1. 2. [4] ararunt super dorso meo: v. 3. (5) eluctatio: non praevaluerunt mihi. v. 2. Deus justus succidit funes impiorum: v. 4.

II. Spei conceptæ profesio: ubi (1) hostes: omnes osores Zionis: (2) hostium futurus status: [a] erubescant, [β] retro agentur: v. 5. [γ] affimilabuntur gramini tectorum evanido: v. 6. inutili, v. 7. maledicto, vel benedictione indigno: v. 8.

PSALMUS CXXIX.

EXPLICATIO VERSUS I.

רבח Multum:) seu graviter, diu ac multifariam; de vocis hujus ulu dictum Psal. CXX, 6. רבח habitavit anima mea &c.

צרות angustias affecerunt me:) ita Pagninus, Junius, Piscator. angustaverunt, Cajetanus. angefochten / Moguntina. h. e. libertati meæ struxerunt insidias, unice in id suas intenderunt, curas, opereque ipso effecerunt, quantum in se, ne pro lubitu mea possem obire negotia, quin potius graviter, quâ animum, quâ corpus, obstrictus ac compressus, dolere cogere ac pati. Proprie enim צרר est colligavit, in fasciculum, צרר dictum, constrinxit, uti ostensum Prov. XXX, 4. Hinc usurpatum legimus de angustias, quas inferre solent צררים hostes, arctè obsidendo, vitæ subsidia subtrahendo, molestias omnis generis creando, extremam denique perniciem obsessorum quarendo, ut Num. XXXIV, 55. erunt gentiles, à vobis relictæ, in cultros in oculis vestris, & in spinas in lateribus vestris, וצררו & affigent vos super terra &c. c. X, 9. quando venietis ad prælium contra hostem, הצורר affigentem vos &c. c. XXV, 18. Midianitæ צוררים affixerunt vos fraudibus suis, in negotiò Peor, &c. Ita Haman dicitur צורר hostis vel affligens Judæos, Esth. III, 10. VIII, 1. IX, 10. 24. Unde colligitur, cunctas hinc comprehendere adversitates, quæ ecclesiæ vel clam & ex insidiis, vel palam & apertò Marte, sunt intentatæ. Dum verò indefinitè, citra determinationem, personæ certæ, dicitur: affixerunt me, facile colligitur supplendum esse participium צוררים angustiatores omnis generis, quomodo mox vers. 3. verbum חרשו additum habet suum participium חרושים. Huc & vers. 5. ubi Osores Zionis disertè nuncupantur.

מנעורי à juventute mea:) h. e. inde à primis nationis nostræ initiis, cum pedetentim posteri Israëlitis seu Jacobi inciperent augeri, & in popu-

lum magis magisque excrefcere. Campensis: ab annis plurimis, & veluti ab incunte etate. Haut dubie vero respicitur tempus commorationis in Ægypto, ubi Pharaos afflictionum fecit initium; quem postea secuti sunt Amalekitæ, Midianitæ, Cananæi, &c. Imò ut Jacob mox à teneris adversantem sibi habuit Esavum; ita Israëlita etiam Esavitas seu Edomæos aliosque Edomæis similes. Eodem sub Juventutis schemate producit etiam Israël tanquam juvencula, Ezech. XVI, 4. 22. 43. 60. Hof. II, 15. confer ibidem c. XI, 1. Jer. II, 1. III, 25. XXII, 21. XXXI, 19. XXXII, 30. Ezech. XXIII, 3. 8. 11. 21. Simili modo pueritiæ Moabi fit mentio, Jer. XLVIII, 11. nec non Babyloniorum, Jes. XLVII, 12. 15.

יאמר dicat nunc Israël:) nimirum secundum R. Aramam: in tempore redemptionis. vide, quæ de eadem hac compellatione dicta sunt Psalm. CXXIV, 1. Nimirum formulæ solennis inque toto populo frequentatæ vicem debent gerere, quæ hic dicuntur, ita ut Israëlitarum quilibet his verbis advesiat, ipsisque in memoriam sibi revocet, ac palam profiteatur, antiquas tum adversitates, tum antiquum etiam manifestumque Dei auxilium.

EXPLICATIO VERSUS II.

רבח multum:) similis iterum hinc epizeuxis, qualis & supra Psalm. CXXIV, 1. quare dicta illic nolumus repetere.

צרר verum:) Pagninus, attamen, Piscator. sed, Campensis. Aliàs vocula hæc communiter copulativa est, etiam: hinc tamen discretivam ipsam esse, structura docet textus, nisi dicas, utrumque deprædicandum esse à fidelibus pari industriâ, tam ecclesiæ concussionem, quàm concussionis superationem; dicat Israël non tantum de miseris, sed dicat etiam, (nota accentuationem Ebraeorum,) quòd nihil ex omnes ad extinguendum Dei populum potuerint.

יכלו

2257  
יכלו  
והיה  
me: ita  
liberati  
os inno  
pare ann  
tandem  
clera sic  
mergere  
non potu  
sed sanct  
cei novi  
vi &c: Si  
rit Psalm.  
paralui a  
22. impo  
vni pacifi  
& posside  
/terra C  
יכלו  
nobis ser  
periculis  
non hoc  
tati, virtu  
protectio  
iniquitat